



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

Inhaltsverzeichnis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

Seuerus  
Sulpitius  
an Pelagia  
na heresi  
infectus?

Seueri pœ-  
nitentia  
quæ?

<sup>b</sup> *Nescio quibus presbyteris illic licere, &c.]* Inter presbyteros Aquitania Pelagii fuligine denigratos, quos Cælestinus hac epistola infectatur, fuit Seuerus Sulpitius ille discipulus & scriptor vitæ S. Martini, S. Paulino Nolano episcopo amicitia coniunctissimus: verum ex alluione exundantis Pelagianæ hæreseos ereptus, magno tandem Dei beneficio resipuit. De eo enim hæc Gennadius cap. 19. *Seuerus presbyter, cognomento Sulpitius, vir genere & literis nobilis, & paupertatis & humilitatis amore conspicuus. Hic in senectute sua a Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* Baron. 431. num. 189.

<sup>c</sup> *Augustinum sanctæ recordationis virum, &c.]* Postquam S. Prosper, aduersus Collatorem agens, hoc de S. Augustino Cælestini elogium recitasset, hæc ait: *Contra istam clarissimam laudatoris tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quisquam maligna interpretationis murmur emittere, & perspicua sincerissimaque sententia, nubem obliqua ambiguitatis obtendere, &c.*

ÆPISTOLA II.

CÆLESTINI PAPÆ I.

AD EPISCOPOS PROVINCIAE VIENNENSIS  
ET NARBONENSIS.

- |  |  |
|--|--|
| I. De quibusdam sacerdotibus, qui amici pallio, & lumbos praecincti, in ecclesia ministrabant.   | V. Quod inuito clero vel populo episcopus ordinari non debeat, neque ex altera ecclesia peti, si in ipsa, cui creandus est, sit idoneus. |
| II. Quod nulli sit in morte ultima poenitentia deneganda.  | VI. Quod ab illicitis sit ordinationibus abstinendum, & si quæ facta sunt, remouenda.  |
| III. Quod per gradus ecclesiasticos promouendi sint episcopi, non ex laicis assumendi, neque criminosi.  | VII. Danieli episcopatus, ad quem clanculum obrepserat, abrogatus.   |
| IV. Ut metropolitanus in aliena provincia nihil presumat. & ut in creandis episcopis extranei emeritis in sua ecclesia clericis non praponantur. | VIII. Episcopi Massiliensis, qui de alterius episcopi cade gratulatus dicebatur, causa episcopis delegata.                               |

*Cælestinus vniuersis episcopis per Viennensem & Narbonensem prouincias constitutis, in Domino salutem.*

**C**VPEREMVS quidem de vestrarum ecclesiarum ita ordinatione gaudere, vt cōgratulareremur potius de profectu, quam aliquid admissum contra disciplinam ecclesiasticam doleremus. Ad nostram enim lætitiā & benefacta perueniunt, & mœroris aculeis nos quæ fuerint male facta